

134

Lib. I. Cap. VIII.

*rationem* : quibus significatur finis habituum, acquiruntur enim & infunduntur propter operationem, seu, ut beneficio eorum subiectum promptè operetur, sicut v. g. per habitus virtutum benè & honestè operamur, per scientiam contemplamur.

14. Nota : *vox operationis* dupliciter solet accipi : (1.) *latius* pro quacunque actione, prout etiam cognitionem complectitur. (2.) *strictius*, pro praxi, seu pro tali actione, quae distincta est a cognitione, quales actiones sunt e. g. quae in ethicis praescribuntur : h. l. operatio sumitur priori modò : nam si habitus esset propter operationem tantum posteriori modo, omnis habitus esset practicus, quod falsum.

15. Dicitur 5. *non tribuens primam facultatem operandi* : quibus verbis distinguitur habitus à potentiâ naturali, ab hac enim in subiecto est prima operandi facultas : habitus autem eam praesupponit.

16. Dicitur 6. *Sed adjuvans & facilitans eam* : h. e. licet habitus non det subiecto primam facultatem operandi, eam tamen iuvat, & in operando promptiorem seu faciliorem reddit, e. g. prima cognoscendi facultas in homine non est ab habitu, sed quod homo potest cognoscere, id habet ab intellectu, habitus tamen e. g. *physica* adjuvat intellectum, eumque in cognoscendo faciliorem reddit &

drom-